

Petrus de Vinea

*Ep. VI 4 (Satis honoris
nostri fastigia credimus...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. VI 4 (Satis honoris
nostri fastigia credimus...)*

1254

Concessio cancellariae.

1. Satis honoris nostri fastigia credimus prudenter extollere, si ad regiae potestatis negotia, consiliis utique promouenda non casibus, uiros preclaros eligimus et rectores idoneos prelustribus officiis coaptamus, ut sic probitas eorum laudata non algeat, dum sua sint nomina fastibus intitulata magnificis, et mentis nostrae tranquillitas non uacillet, dum latera nostra prospicimus prouidis decorata ministris. 2. In hoc etiam liberalitatis nostrae non erat intentio, ut quotiens personas dignas et sufficientes inueniat, honores eis et beneplacita non inculcet et generose circa ipsas quasi de liberalitatis et promptuario plene fluat. 3. Eapropter per presens priuilegium nouerit tam presens etas quam successura posteritas, quod nos, attendentes puram fidem et deuotionem sinceram, notam prudentiam et efficaciam approbatam... de...; uolentes etiam, ut idem..., cuius legalitati de negotiis Cismarinis onera confidenter incumbimus, suum ultra mare se dilatare gaudeat, magistratum ipsum nuper prouida deliberatione consilii prehabita, cancellarium regni nostri Hierosolimitani sollempniter duximus destinandum: potestatem liberam et auctoritatem concedentes eidem, ut ipsum officium cum omnibus iuribus et pertinentiis suis in regno ipso de cetero sicut in regno Syculiae licite ualeat exercere.